



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Cur Ioannes Baptizauit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Paulan. Alij. Sed ad communia aliquando accom-
modatur.

§. 1. Ridicule faciunt, qui ex his verbis, *Filius qui est in sinu patris*, Ubiquitatem, seu Immenfitatem corporis Dominici colligunt, quod nunc pudore faciunt timidius, olim multi fecerunt, adeo, ut etiam Calvini lib. 4. Instit. cap. 17. §. 30. ea causa rideat. Quamvis enim sinus patris sit ubique, immensus, infinitus, licet in Deo Dei filius, immensus, infinitus, non tamen secundum omne id, quod habet, etiam est ubique. Nam filius secundum humanitatem est comprehensibilis & visibilis, ut est apud Iren. lib. 3. cap. 11. Et gratiam, ait, potius, in novissimis temporibus per filium suum donat humano generi, incomprehensibilis per comprehensibilem, & invisibilis per visibilem; cum extra eum non sit, sed in sinu patris existat. Deum enim, inquit, nemo vidit unquam, nisi unigenitus filius Dei, qui est in sinu patris, ipse enarravit. Patrem enim invisibilem existentem, ille qui in sinu eius est, filius, omnibus enarrat. Propter hoc cognoscunt eum hi quibus revelaverit filius, & iterum pater per filium, filij sui dat agnitionem, his qui diligunt eum.

VERSVS 19.

Et hoc est testimoniū Ioannis, quando miserunt Iudei ab Ierosolymis sacerdotes & Levitas ad eum ut interrogarent eum: Tu quis es?

QVÆSTIO I.

Quale est testimonium Ioannis?

§. 1. DE teste iam ante dixerat, nunc testimonij ordinem, & rationem exquirunt. Præsides religionis, & pontifices publicam legationem adornant, & interrogant, quisnam sit, putabat enim populus Christum esse. Cognorant etiam hebdomadas Danielis finem accipere, iam translatum sceptrum, antecesserant miracula & prædictiones, infanticidia, aliaque. Honestissimam fuisse legationem missis sacerdotibus & Levitis, res ipsa docet; dubitabant enim an Christus esset. Non credidisse tamen illi t. statur Christus ipse. Itaque ne sincere quidem misisse videntur, si principes spectes, sed ut populo satisfacerent.

§. 2. Quod Vocem se dicit, plerique ad Ioannis modestiam se referunt, qui tam magna de illo opinantibus, se vocem clamantis esse dicat. Nec ego dubito animo demisso & humili ista professum esse. Sed tamen testimonij sui auctoritatem voluisse hac professione astruere, certissimum est. Testimonium enim Ila. 40. 3. profert ipse in deserto, atque eadem ratione, & se præcursores, & iam advenientem Messiam declarat. Simul prudentissime & efficacissime eos hortatur, ut Messiam iam advenientem viam præparent.

§. 3. Ille confessus est, & non negavit, hoc liberè ac publice, sollemni protestatione, non esse se Christum. Id enim præcipue quæri sciebat, etsi illi tantum quærerent: Tu quis es? Compendio Evangelistæ narrare solent, alioqui pluribus verbis legatos egisse, salutasse, documenta, quibus legationis fidem facerent, exhibuisse; constat Ioannem quoque plura de Christo annunciasse, cur enim cum omnes baptizaret, cum Pharisei etiam & Scribæ venissent, non hos etiam instrueret, legatos præsertim, & publice venientes;

QVÆSTIO II.

Cur se negat Prophetam?

§. 1. Christus plusquam Prophetam appellat: Zacharias nominat Prophetam altissimi. Ipse iterum se negat Prophetam negat. Variè respondent. Verissima videtur illa, qua dicitur interrogatus, an ipse esset magnus ille propheta, quem Moses promiserat. Nam reuera sic interrogant: *ὁ μέγας ὁς ἐστὶν; Τὸν ἐστὶν ὁ πρόφητα?* multi in hac sententia sunt. Nec aliud obstat, quam prima responsio. Etenim iam se Christum esse negat. Ille autem Propheta Christus erat.

Cui obiectioni respondeo. Iudeos capti se interrogasse. Cum enim *Sarrapenos* & præcise viderent, titulum Messiae Ioannem non admittente, alio modo eum eo reducere moluntur. Quærent enim an sit magnus ille propheta, quem audiendum esse Moses prædixerat. Cum tantam hominum multitudinem traheret, cum baptizaret, quorum neutrum prophetæ minores præstiterunt. Fieri potuit, ut vel ipsi dubitarent, an Moses de Messia locutus esset, vel arbitrentur Ioannem id latere, itaque alio modo eandem iterant quæstionem. Erant adhuc, aut proxime fuerant propheta & prophetæ, Simeon, Zacharias, Anna, Elisabeth, at tale, quale Baptista, nihil instituerant agere. De singulari igitur propheta interrogant, cui peculiaris esset in regno potestas. Cur igitur aliis verbis eandem quæstionem iteraverint causam existimo; quod Ioannem Messiam, seu Christi nomen velut regis vincti non admittente viderent, tum quod nondum rex esset, nondum vinctus, tum quod Romanos eum timere suspicarentur, ideo quærunt, an sit ille propheta, magnus scilicet, quod nomen non tam inuisum erat regnantibus, quam Christi.

QVÆSTIO III.

Cur quærunt an sit Elias?

§. 1. Regum lib. 4. cap. 2. vers. 11. Elias igneo curru in cælum ascendit, eum rediturum constans erat Iudeorum sententia. Ideo hoc ipsum quærunt, Spiritus enim & virtus, virum similem Eliæ exhibebant: nec tantam abstinenciam in homine aut sui esse posse credebant, Eliam coruus pauerat, deinde dies quadraginta ieiunarat. Hinc facilis erat de Eliæ suspicio.

Ioannes negat se Eliam, nempe in persona, Christus Eliam ait, esse Eliam, scilicet officio, qua de re videatur in Matth. & Luc. dicta sunt.

VERSVS 28.

Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem ubi erat Ioannes baptizans.

QVÆSTIO I.

Vbi Ioannes baptizavit?

§. 1. IN re nec difficili, nec summi momenti, gravi-
ter concertant doctissimi Interpretes; sed & Bethania
exemplaria Latina & Syra omnia habent Bethania, vera.
multa Græca Bethabara. Si Bethania legendum est, alia
ad Iordanem ponenda est, præter eam quæ Ierosolymis
vicina est: quod ut fieri potest, ita auctoritas non
habent, qui sic sentiunt. Alij Bartanæ lege malunt.

Trans Iordanem alij censent esse eam partem, quæ
ex Ægypto venientibus erat trans Iordanem, ad eam
terram, in qua Ierosolyma; Alij obiectam ripam Iu-
dææ contrariam;

Veteribus
codicibus
res decidit
da.

Mihi codicum veterum fides potius videtur, quos consensu habere Bethaniam fatentur illi, qui nouam lectionem sequuntur. Nec alud mouet, quam quod duæ Bethaniæ concedendæ essent, quod cum in pluribus contingat, non video cur hoc loco timeamus: Præsertim cum illi, qui aliter sentiunt, Bethabaram pro Bethania sine auctore ponant.

VERSUS 29.

Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.

QVÆSTIO I.

Cur agnum Dei vocet tollentem peccata mundi?

Testimoniū
Christo se-
pius dedit
Ioannes.

§. 1. Altera iam die postquam legatio Iudæorum audita & remissa est, vidit Ioannes Iesum venientem, & cælesti cum præconio decorauit & dixit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quod testimonium Ioannes Christo sæpius dedit; Nam etiam ante baptismum sic Christum appellauit Matth. 3. 16. & hic vers. 36. eodem plane modo. Hic autem dies non est quo baptizatus est Dominus, ut Origen. & Optatus Mileuitanus lib. 4. contra Parm. existimauit, neque etiam ille, quo ex deserto redijt; Nam quarto post die nuptijs interest, in Galilæa, idque cum discipulis suis, quos ex deserto regressus, non simul, sed aliquo intervallo collegit.

Christo &
agno multa
similia.

Agnus ma-
suetudinis
symbolum.

§. 2. Agnus autem Dei, non hominum, agnus immaculatus, cuius typus ille erat, de quo Moyses Numer. 28. versic. 3. Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis, Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum: unum offeretis mane, & alterum ad vespertum. Exodi 12. 3. & 29. 39. Iuge sacrificium mane & vespere offerri solitum, cuius sanguis emundare à peccatis non poterat, agnum illum figurabat, agnum Dei, agnum cælestem, adeoque Deum, agnum offerendum Deo, ad consummationem sanctorum. Agnum Ioannes inter Euangelistas Christum solus appellat; raro sic vocatur ab alijs Apostolis, Petrus 1. Epist. 1. 19. precioso sanguine quasi agni immaculati nos redemptos ait. In Apocalypsi Euangelista sub figura agni sæpius apparuit: agnus enim est qui sigillum aperit, qui impis irascitur, cuius nuptiæ venerunt. Quod si philosophari lubeat, plurima quæ agno pariter & Christo conueniant colligere proclive fuerit. Et passim in homiljs egregiæ exstant comparationes. Mihi dubium non est, mansuetudinis & tantæ patientiæ virtutem in Christo præcipue spectari à Propheta Isaia, & Baptista. Fuit olim Fabius ille, qui Romanam cunctando restituit rem ex modestia, facilitate, & miti ingenio dictus ouicula; ut in eius vita Plutarchus. Iunium Syllanum Caligula pecudem auream appellabat, Dio lib. 56. virtutem enim & grauitatem homine quissimum exprobat. Alioqui etiam stolidi & edæna dicuntur, quia scilicet homines simplices, ac innocentes pro fatuis habentur. Diogenes diuitem Indoctum vocabat χρυσόμαλλον, quod est aurei velleris, alij legant χρυσομαλον, auream ouem, quæ omnia in Christum iactata sunt, & Christianos, quos tanquam oues misit in medio luporum, quos tanquam oues ad dexteram constituit.

§. 3. Agnum Dei vocat Christum, quia sic Isaia 53. 7. nominatur, Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Et Ierem. vers. 19. Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.

Hic igitur etiam prophetiæ insistit, & quem propheta agnum promissit, ipse manu ostendit, ut habet Nonnus Christianus Poeta. Vide Cyprianum Testim. lib. 2. ad Quirinum cap. 15. Quod ipse sit dictus ouis, & agnus, qui occidi haberet: atque hoc est quod adiunt articulum Oñon modo Emphaseos, sed etiam relationis vim habere, perinde enim est ac si dicat hunc esse agnum à Prophetis prædictum. Sic Athanasius orat. contra omnes hæreses. Cum aduenisset ad nos iste ita pronuntiatus, eumque ad se accedere conspexisset Baptista Ioannes, adimplens quod prædictum fuit ab Esaia propheta, in hac verba erupit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: vides confirmari Prophetam vocem à Baptista. Adeo vero vilitatem fuit oues, aut agnos offerre, ut nulla apud gentes crebrior hostia. Virg. lib. 5. offeruntur tempestatibus agnus. Et apud Aristophanem in Rana-

Ag' ἀγνὸν μέλαινα πᾶσις ἐξενέγκαντε
τοῦ φῶς γὰρ ἐκείνου ἡ ζωὴ ἀγέτω.

Agnus, Agnum nigrum pueri efferte,

Errupere enim typho paratus est.

Sic Latinus rex sollicitus de filia nuptijs; Velleribus incubat ouium cælarum.

QVÆSTIO II.

Quomodo tollit peccata mundi?

§. 1. ἀδελφον, qui iam præsens tollit; iam enim mysterium redemptionis operabatur, & multorum miserat peccata. Quomodo de virtute & potestate tollendorum peccatorum interpretari malint, utrumque coniungendum censeo, esse agnum qui absolutissimam peccatorum tollendorum potestatem iam re ipsa exerat, sanctitatem conferat, quod nulla legis vitima præstare potuit. Græca exemplaria hodierna fere habent peccatorum singulari numero. Ita legit Cyprian. lib. de duplici martyrio. Ambros. l. 3. de fide, c. 5. Augustin. l. 12. contra Faustum c. 30. Theophyl. etiam. Cyprianus tamen lib. 2. contra Iudæos cap. 15. & l. de Baptismo legit in plurali. Chrysostom. homil. 16. imo etiam Origenes in 24. Num. Ecce in Græcis, Syris, & multis latinis libris non reperitur, in correctis tamen relictum est: itaque multa & meliora exemplaria repetitionem habuerunt, parui momenti est, quare in medio relinquo.

Hoc valde repetendum; agnum hunc natura sua, sine, & officio esse ἀδελφον, qui omnia mala auertat, omne mundi peccatum deleat, iamque ipso tempore cum Ioanne loqueretur, cum baptizaret, cum magna turba pœnitentiam ageret, agnus in cordibus operabatur, & dolentium peccata auferbat.

§. 2. Et primum quidem ipse rem serio æstimans, admiratur esse agnum qui tollat peccata mundi: Eum enim esse, qui saluum faciat populum suum à peccatis eorum, se vero tantum vocem esse, & monstratorem Saluatoris, quo quidem testimonio pridianam confessionem mirifice confirmat. Deinde finem cui Messias aduenit ostendit, non ut regnum temporale institueret, sed peccata mundi tolleretur, quæ lucra appormentur, quæ voluptatum blandimenta, quos honores mundus inquit. Legati pontificum ad Messiam velut regem futurum proficiscuntur, delecti ipsi de multis, commodis quisque suis inhiabat, & gaudia sibi de nouo propheta spondebant; de remissione peccatorum ob quæ iugo Romanorum pressi cruciabantur nullam cogitationem suscipiebant. at Ioannes mala & malorum causam intuitus, peccata scilicet, ad ea tollenda Messiam venisse pronunciat. Hoc vnicum & solidum esse beneficium, absque illo mundum stare non posse.

§. 3. Non tollit peccata relinquendo, & tolerando,